

A D B O E T H I U M

In Boethii libro qui inscribitur «*consolatio philosophiae*» IV 6, pg. 102, 11, editionis quam fecit Guilelmus Weinberger (Vindobonae 1934, Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum vol. 67) omnes editores ante Weinberger et post pariter atque ipse errorem codicum admiserunt, ubi legitur: «...rationis prolixitate fatigarum.» Vox «rationis» falsa est, pro qua «orationis» scribatur necesse est.

Contra vocabulum «rationis» stant haec argumenta:

1. Vox «prolixitas» significat longitudinem vel magnam extensionem exteriorem, quae tantum ad seriem verborum vel ad orationem, non ad rationem internam pertinet.
2. Non «ratio» est ens extensum, sed «oratio»; ratio autem extensionem non habet; immo ratio est ens rationis et ens sine extensione cum fundamento in re.
3. In loco Boethii de oppositione inter «*quaestionem*», quae vox idem ac «rationem» vel potius «rationes» significat, et «*orationem*» (= expositionem vel enarrationem), agitur; haec *quaestio* multas res, scilicet rationes continet; *oratio* verum multis verbis constat, quare prolixa videtur.
4. Ergo non «ratio», sed «oratio» prolixa est.
5. *Quaestio* huius capituli Boethii (IV 6), quinque rationes complectitur, cuius *quaestionis* pondus auditorem fatigat; atque etiam

prolixitas seu longitudo expositionis vel orationis harum rationum audientis animum lassat.

6. «*Quaestio*» et «*ratio*» esset fere idem, nempe repetitio et tautologia eiusdem cogitati; quamquam rectius dicendum est «*rationes*» (= numero plurali), quoniam ista quaestio tota quinque rationibus constituitur, quarum modo duae hic tractantur, scilicet: providentia et fatum.
7. Insuper numerus singularis «*rationis*» falsus est; neque enim de una ratione, sed de quinque rationibus sermo est, quarum iterum duae, non una, disputantur.
8. Propterea «*rationis*» sub omni respectu falsum esse et solum «*orationis*» ponendum intellegitur.

Pro vocabulo «*orationis*» tamen haec proponi possunt:

1. «*Prolixitas*» est terminus artis rhetoricae et criticae, qui ad *orationis* longitudinem spectat; prolixitati opponitur brevitatis dicendi vel parcitas seu parsimonia verborum.
2. «*Oratio*» adversus vocem «*quaestio*» (= πρόβλημα) ponitur; haec certe quaestio complures rationes (= argumenta) includit, quae una oratione perlonga proferuntur.
3. «*Oratio*» deinde exarandum est, quod statim vox «*orationi*» contraria illa «*carmen*» sequitur: «*aliquam carminis expectare dulcedinem*»; nam Boethii mos huius consolationis philosophiae scribendae est orationem prosam oratione metrica (=carmine) alterna vice ita variare, ut *oratio* et *carmen* inter se opponantur; qua de causa «*orationis*», non «*rationis*» oportet legatur.
4. *Orationis* autem prolixitate homo fatigatur; *carmen* vero, quia non prolixum est, dulcedine reficit redditque animum firmiorem ad ulteriora audienda.

5. *Orationis* cursus «commemoratur» a Boethio, lib. VI p. 107, 1 eiusdem consolationis philosophiae.

6. Ex diversis igitur oppositis postulatur, ut scribatur «*oratio*»:

primo contraria ponuntur: quaestio (= rationes vel argumenta vel res) et *oratio* (= forma);

deinde: carmen et *oratio*;

porro: pondus (internum) quaestionis (=res) et prolixitas (externa) *orationis* (=verba);

tum: numerus pluralis (=rationes) et numerus singularis (= *oratio*);

denique: fatigare (prolixitate *orationis*) et reficere (dulcedine carminis).

7. Causis tandem intellectus et dictionis vox «*oratio*» poscitur, reicitur «*ratio*».

8. Palaeographia ultro docemur «*orationem*» et «*rationem*» facillime crebroque in codicibus manuscriptis inter sese confundi, «*rationis*» autem tamquam speciem haplographiae pro recta forma «*orationis*» hoc loco haberi.

9. Locos nunc similes enumerare licet, unde cognosci possit «*prolixitate*» ad verba *orationis*, non ad «*rationem*» pertinere:

A. *Gellius* II 26, 7: lingua Graeca... prolixior.

Arnobius IV 17: ne forte prolixitas fastidium audientiae pariat.

Lactantius: epitome divinarum institutionum (proemium 1): ut nec prolixitas pariat fastidium.

Chalcidius: commentarius in Platonis *Timaeum* 190: quid igitur sibi voluit tractatus huius tam larga prolixitas?

Julius Victor: ars rhetorica cap. 16 p. 424, 13 (rhetores latini minores ed. C. Halm, Lipsiae 1863): quaedam narrationis vitiosa prolixitas est.

Albinus (= Alcuinus) de arte rhetorica dialogus (rhetores latini minores ed. Halm) p. 548, 12: tempera te in utrumque ne aut prolixitas fastidium aut brevitatis ignorantiam generet.

Symmachus: epistulae lib. 2, 8, 1 (Seeck): non est in illis (litteris) desiderata prolixitas;—lib. 3, 57: deridenti prolixitas grata est.

Scholia Bobiensia Ciceronis p. 259, 11-12 ed. Orelli-Baiter «M. Tulli Ciceronis Scholiastae» (Zuerich 1833): totum diem *prolixitate orationis* suae occupat.

Donatus: Aeneis (interpretationes edidit Georg.) vol. I 7, 4 vitandae prolixitatis causa; I 61, 7 utar prolixitate narrandi; I 537, 12 narrandi prolixitatem.

Ambrosius: Hexameron lib. II 5, 22: dicendi prolixitas.

Hieronymus contra Luciferum c. 28 (= Migne PL 23): prolixitas concertationis... epistulae; 18 A 16, 2: ...oratio... multo molestior fit, si taedium sui prolixitate congeminet...

Augustinus: de civitate Dei XX 26: sine ulla sermonis prolixitate...

Augustinus: retractationum prologus 2: quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate.

Augustinus: contra secundam Iuliani responsionem opus imperfectum lib. III 141: tanta multiloquii prolixitate.

Augustinus: contra Faustum (CSEL vol. 25 sectio 6, 1 p. 343, 18): ...exigunt prolixitatem dissertationis.

Claudianus Mamertus: de statu animae (ed. Aug. Engelbrecht, Vindobonae 1885) p. 188, 17 prolixitas (opp. parcitas).
p. 128, 6 prolixitas onerosa verborum.

Praeterea hisce exemplis ostenditur vocabulum «prolixitas» temporibus imperii Romani posteris inde ab annis 300 p. Chr. n. et postea in consuetudine dicendi et scribendi fuisse, quae res optime ad Boethii usum huius vocabuli quadrat. Ideoque solum «*orationis* prolixitate fatigatum» in Boethii loco consolationis philosophiae IV 6 scribi opus est.

EMIL. ORTH.